



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XXXV. De Communicatione suffragiorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155



Casus XXXV.

De Communicatione Suffragiorum.

DE Sancta Theresia narratur quòd cuidam magno ac ad desperationem redacto peccatori veniam à Deo impetraverit, & omnium suorum bonorum operum satisfactionem in eundem transtulerit. Occasione hujus.

Quær. Utrùm in Ecclesia inter vivos Communicatio bonorum operum vigeat ?

Synopsis.

§. I.

Prænotanda.

1. Suffragiorum natura explicatur.
2. Illorum diversitas.
3. Possunt considerari dupliciter.
4. Cujuslibet boni operis fructus est triplex.

5. Fidelium, qui se juvare suffragiis possunt, triplex est status.

§. II.

Proponuntur Conclusiones.

6. Fideles possunt se mutuò juvare per suffragiorum Communicationem.
7. Non omnia tamen benefacta hoc modo communicari possunt.
8. Possunt fideles se mutuò juvare ad satisfaciendum pro pœna temporali peccatorum.
9. In quantum unus pro altero solvit pœnam temporalem pro remissis peccatis.
10. Hæc solutio non habet rationem cujusdam impetrationis.
11. Aut remissionis puræ per applicationem satisfactionis Christi.

12. Nec

12. Nec per hoc, quid quis suis precibus impetret à Deo alteri pium motum.
13. Peccatum facit dignum pœnâ, per se, vel per alium solvenda.
14. Nec obstat, quòd pœnæ hujus debitum per alium nequeat contrahi.
15. Nec obest, quòd debitum per solum peccantem auferri queat.
16. Et meritum gratiæ ac gloriæ alteri ad gloriam donare possit.
17. Pœna peccatis statuta non habet rationem solius medicinæ.
18. Textus Apostoli ad Galat. 6. & 2. ad Corinth. 5. explicantur.
19. Transferens satisfactionem suorum bonorum operum non indecenter propria satisfactione se privat.
20. Eiusmodi transferens non se privat meritò suorum operum.
21. Applicatio talis satisfactionis pro vivente, huic infallibiliter prodest.
22. Si pœna non ad solum delinquentem iudex restrinxerit, etiam ab alio persolutam debet acceptare.
23. Satisfactio ex opere operato alicui debita in alium transferri non poterit.
24. Instantia ex Sacerdote applicante alteri fructum satisfactionum sibi debitum diluitur.
25. Quid, si implens pœnitentiæ sacramentalem, hujus satisfactione non indigeat.
26. Quibus conditionibus instructus esse debeat, ut applicatio viventi possit prodesse.
27. Ut alteri facta applicatio satisfactionis prodest, non est necessaria hujus acceptatio.
28. Afferuntur conditiones ex parte transferentis satisfactionem requisitæ.

§. I.

Pramittuntur scitu necessaria.

ADvert. I. Nomine suffragii in hac quæstione intelligi auxilium, quo fidelium alius alium adjuvat, vel in relaxatione pœnæ temporalis à DEO obtinenda, vel aliquo alio spirituali commodo impetrando. Ita D. Thomas 4. D. 45. cum aliis Scho-

Scholasticis, Ægydius Coninc.
Disp. 11.

- 2 Advert. 2. Juxta S. Gregorium in cap. *Animæ. causa 13. q. 1.* Quatuor ferme genera horum suffragiorum numerari. Primò. Oblationes seu Sacrificia Sacerdotum. Secundò. Preces Sanctorum, æquè triumphantium in cælo, ac hodie militantium. Ad hanc suffragiorum classem reduci quoque solent cætera pietatis opera. Tertiò. Eleemosynas, & quidem ex duplici ratione: tum quia ob sui difficultatem ad satisfaciendum sunt aptæ, tum quia etiam pauperes ad orandum pro suis benefactoribus vehemèter excitant. Quartò. Denique jejunia, sub quo nomine cætera ferè pœnitentiæ opera comprehenduntur, prout sub nomine Eleemosynæ denotantur quæcunque aliæ misericordiæ opera.
- 3 Advert. 4. Suffragia ista posse considerari prout peraguntur ex opere operantis: & prout ex opere operato sunt. Ex opere operantis duplici modo fieri possunt: privata scilicet voluntate: in quantum superstites fideles aliquid suarum precum, eleemo-

synarum, jejuniorum vivis, aut jam defunctis privata sua voluntate applicant, quod iis ad proprias pœnas expiandas, vel supervacaneum, vel etiam necessarium foret. Sotns 4. *D 21. q. 2. n. 2.* Henriquez *lib. 5. c. 2. n. 1. & lib. 5. cap. 18.* Auctoritate autem publica fiunt, quando tota Religio, aut Communitas vel hujus Prælatus aliquos speciatim admittit ad participandas preces, nec non ad pia opera à se in futurum faciendâ.

Advert. 5. Quodlibet opus bonum triplicem virtutem, atque vim continere: merendi, impetrandi, & satisfaciendi, vis meritoria operum propriè dicta fructificat gratiam & gloriam; vis impetrandi extendit se ad consecutionem alterius cujusdam, quàm gratiæ, divini beneficii. Satisfactio est voluntaria solutio pœnæ temporalis pro peccatis jam prius quoad culpam remissis Deo debitæ.

Advert. 6. Ab Authoribus fideles, qui se invicem suffragiis juvare possunt, in triplicem statum, seu tres classes distribui. Primam classem constituunt, qui alios suffragiis juvare possunt, sed

sed non ipsimet juvari, sub hac comprehenduntur electi in cœlo degentes. Alteram classem constituunt, qui juvari quidem ipsimet suffragiis possunt, non tamen juvare alios, qui sunt animæ fidelium in purgatorio detentæ. Tertium denique efficiunt statum, qui & alios suffragiis juvare, & ipsimet aliorum suffragiis juvari possunt, cujusmodi sunt omnes fideles in hac vita adhuc superstites.

§. II.

An, & quomodo fideles se mutuò suffragiis adjuvare possint?

6 **D**ico 1. Fide certum esse, posse fideles absolutè se juvare mutuò per Communicationem suffragiorum. Ita Bellarminus in *explicat. doctrina Christiana. art. 9. & lib. 1. Indulg. c. 3.* cum communi Catholicorum DD. constat assertio ex symbolo Apostolorum, vi cujus *credimus Communionem Sanctorum*, cum enim omnes in gratia constituti fideles sint viva, charitate mutua tanquam quadam unione conjuncta membra totius Ecclesiæ,

tanquam ejusdem corporis, cuius caput est Christus, hinc inter illa quandam Communicationem bonorum operum intercedere oportet, vi cujus ultrò citròque alii alios juvare, in iis præsertim quæ superflua, possint, prout etiam ejusdem viventis humani corporis membra sibi mutuò succurrunt, subministrando liberaliter alimentum, quod aliquibus membrorum est superfluum.

Dico 2. Non omnia tamen 7 omnino benefacta promiscuè, aut æqualiter inter fideles communicari, sed certa quadam ratione, quæ vel Divinæ institutioni, vel liberrimæ hominum applicationi consentanea est. Ita Suarez in *3. partem tom. 4. disp. 48. sect. 1.* Probatur. Ratio meriti, quo aliquis bonis operibus gratiam sanctificantem, & gloriam cœlestem consequitur, non potest æquè aliis donari, ac ipsa præstita ab aliquo satisfactio: ergo &c.

Cæterùm, quòd orationes pro aliis fundi, atque aliis communicari valeant, constat ex Jacobi 1. *Orate pro invicem, ut salvemini:* & ad Romanos 15. *Ob-*

C c c

secro

secro vos fratres, ut adjuvem me in orationibus pro me ad Deum: Item Jobi ultimo dixit Deus: Ite ad servum meum Job: ille orabit pro vobis.

8 Dico 3. Posse fideles se mutuò juvare ad satisfaciendum pro pœna temporali peccatorum, ita quidem, ut opus unius alteri valeat ad remissionem alicujus pœnæ temporalis obtinendam. ita Suarez *locò cit. n. 2.* cum communi Catholicorum. Probatur conclusio omnium optimè ex consuetudine & sensu Ecclesiæ: insuper ex consensu TT. ac Patrum à prælaudato Suarezio *n. 7.* adductorum: in hunc finem ab Authoribus etiam adducuntur quædam Scripturæ Sacræ loca: ut illud Psalmi 18. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Item illud Pauli ad Coloss. 1. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei.* Ultima hujus textus verba satis ostendunt, Paulum non solum sustinuisse in sua carne passiones, ut conjunctæ Christi

passionibus sibi prodesse, sed etiam universæ Ecclesiæ.

9 Dico 4. Fideles posse sibi invicem suffragari, dum unus pro alio solvit pœnam temporalem pro peccatis remissis debitam. ita S. Thomas 4. D. 20. q. 11. art. 2. Bonav. Sotus D. 19. q. 2. n. 4. cum Durando, Paludan. Richardo, Bellarm. Valentia, Suarez *sect. 2. n. 5.* loci citati. Probatur: nequaquam rationi repugnat dicere, quòd Deus in hac providentia rem alternativè ita ordinaverit, ut pro remisso peccato decreta pœna vel in purgatorio sustineatur, vel pro illa in hac vita peccator satisfaciatur, aut per se, aut per amicos suos: ergo vera est nostra conclusio. Prob. antec. nō est rationi contrarium dicere, quòd Deus absolutè potuerit rem ita ordinare: ergo neque rationi dissentaneum erit dicere, quòd de facto ita ordinaverit. Prob. antec. sæpius puniuntur aliqui per justam legem non solum in propria persona, sed etiam in aliis sibi conjunctis; Item imponitur in pœnam opus per se, vel per servum, aut aliam quandam personam persolvendum: ergo non est rationi dif-

dissentaneum dicere, quod Deus talem poenam velit subiri vel in purgatorio, vel ut peccator pro illa satisfaciat in hac vita immediatè per se, aut per sibi conjunctos. Subsumo: si Deus talem ordinationem potest absolutè facere, tunc de facto ita rem istam etiam ordinavit: ergo possumus satisfacere pro aliis, poenam illis debitam persolvendo. Probatum subsumptum, ex communi Ecclesiae sensu, traditione perpetua, interpretatione Doctorum, Communionem Sanctorum, & illo praesertim Ecclesiae dogmate, tradente esse in Ecclesia Thesaurum, tum ex Christi, tum ex superfluis Sanctorum satisfactionibus congestum, & in fidelium necessitates distribuendum. Confirmantur hæc ex Catechismo Romano Pii V. hic enim in fine de Sacramento Poenitentiae n. 61. habetut. *In eo summa Dei bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus predicanda est, qui humana imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio possit satisfacere.*

Confirm. 2. Christus Dominus nobis profuit, & merendo,

& satisfaciendo pro nobis sustinendo mortem ac tormenta sua: ergo modus solvendi pro alio, patiendo pro ipso, ex se neutiquam repugnat; si enim impetrationibus justis possunt aliis remissionem poenae obtinere, cur non etiam oblationibus æqualium poenarum.

Objic. Contra dicta Primò. ¹⁰ Potest dici, quod hæc suffragatio fiat per modum impetrationis, non autem cujusdam satisfactionis: ergo hæc dicta non subsistunt. Prob. Potest aliquis petere, & à Deo obtinere, ut gratis, & sine ulla satisfactione, vel compensatione tollatur reatus poenae temporalis: ergo &c. Resp. 1. Cùm majus quid sit, impetrare gratuitam remissionem residuae poenae temporalis, quàm impetrare, ut pro poena à se tolerata remittatur poena alteri debita, ideo, qui priorem modum suffragandi admittunt, posteriorem negare non poterunt. Resp. 2. nego anteced. Cùm enim modo impetrationis non possit sibi ipsi impetrare gratuitam eamque immediatam remissionem poenae temporalis: multò minùs hoc poterit pro alio,

lio, cum cæteris paribus sit efficacior oratio pro se, quàm pro aliis fusa.

- 11 Objic. 2. Potest dici, suffragia in eo consistere, ut aliquis sine solutione pœnæ à se præstitæ à DEO impetret, ut alteri fiat remissio per applicationem satisfactionis Christi quoad hunc effectum: ergo necdum subsistit nostra conclusio. Resp. neg. ex Lege enim ordinaria satisfactio Christi ultra proprium opus operantis nobis non applicatur extra Sacramenta, & Sacrificium Missæ, & Indulgentias per solam intercessionem, atque petitionem nostram.
- 12 Objic. 3. Potest dici, quòd per hoc unus suffragetur alteri, quòd suis precibus impetrat alteri à Deo pium motum, quo alter excitatus bene operetur, & sic mereatur remissionem pœnæ temporalis sibi aliàs sustinendæ. Resp. neg. antec. in hoc enim supposito non tantùm darentur suffragia ad delendam pœnam post remissum peccatum adhuc solvendam, sed ad ipsum mortale peccatum abolendum, cum etiam possimus peccatori nostris precibus impetrare pium motum

ad eliciendam contritionem, deletivam mortalis.

Objic. 4. Per peccatum fit aliquis dignus pœnâ in seipso, non in alio: ergo contrahit debitum persolvendum per actionem vel passionem propriæ personæ, non alterius. Resp. dist. antec. propter peccatum fit aliquis dignus pœnâ in seipso, ita ut per se, & vi sua solam talem personam constituat debitricem, & ab illa justè possit exigere: con. ita ut ab illa sola possit persolvi: negatur antec. & conseq. aliàs neque Christus potuisset pro nobis satisfacere per modum solutionis, sed solùm impetrationis.

Urgebis: Christus est caput totius corporis, quod omnes fideles constituunt, satis autem est, quòd ipsius capitis satisfactio reliquo corpori applicetur: ergo satisfactio Christi nobis applicari poterit, non autem unius fidelis alteri fidei. Resp. neg. conseq. Cùm enim omnes fideles mediante charitatis unione unum corpus constituant, hinc sicuti satisfactio capitis potest applicari corpori, ita unius membri satisfactio alteri membro donari poterit, cùm non minor sit

com-

communicatio capitis cum corpore, quàm membri unius cum alio membro.

14 Objic. 5. Tale est ejusmodi pœnæ debitum, ut per opus alienum contrahi nequeat; sed per proprium duntaxat: ergo etiam à contrario solutio hujus pœnæ à solo debitore, non autem ab alio præstari poterit. Respon. conc. antec. neg. conseq. disparitas est, quia debitum pœnæ temporalis per proprium reatum incursum, per solam culpam actualem contrahitur, hæc autem non est communicatio, cum sola voluntate propria committatur, quæ est voluntaria deviatio à lege Divina, ex opposito solutio pœnæ ab altero fieri potest, & alteri prodesse, si ab hoc volente liberari à suo debito acceptetur.

15 Objic. 6. Sicuti peccator est obligatus ad expungendum debitum pœnæ, ita est etiam obligatus ad expungendum debitum culpæ per peccatum contractæ: ergo sicut per alium expungi non potest debitum culpæ, sed à solo peccatore auferri debet, ita hoc ipsum de pœnæ debito erit tenendum. Resp. neg. conseq.

& paritatem Ratio est, quòd remissio culpæ, ad intrinsecam rectitudinem atque sanctificationem pertineat, quæ sine intrinseca & proportionata dispositione ipsius pœnitentis fieri nequit, ex opposito remissio pœnæ post donatum ipsius culpæ reatum adhuc solvendæ non reddat hominem intrinsecè meliorem, aut magis studiosum: ergo hæc sine intrinseca peccatoris mutatione aut operatione auferri poterit.

Objic. 7. Meritum gratiæ ac gloria ita est personale, ut nemo alteri suum meritum transcribere possit ad gloriam illi alteri promerendam: ergo etiam satisfactio pro pœna temporali erit ita operanti propria, ut illa nequeat adscribi alteri ad solvendum reatum pœnæ alienæ. Probatur conseq. Per sola propria merita sumus digni vitâ æternâ: ergo etiam per solam propriam satisfactionem aliquis dignus remissione pœnæ temporalis. Prob. conseq. per opus alterius etiam nullus potest fieri non dignus pœnâ, cujus per propriam culpam effectus fuit reus: ergo per solam propriam satisfactionem fit talis. Resp. conc. utroque

antecedente neg. conseq. disparitas jam fuit insinuata, quodlibet etenim meritum debet intrinsecè hominem disponere, aptumque reddere ad gratiam sanctificantem, proportionatam præmio: atqui hæc dispositio per solum actum proprium, non autem alienum efficitur: è contrario remissio pœnæ nullam intrinsecam dispositionem in illo, cui illa obvenit, supponit, eò quòd non semper fundetur in actuali existentia cujusdam culpæ, ad cujus remotionem ipsius peccatoris operatio est necessaria,

- 17 Objic. 8. Omnis pœna peccatis commissis statuta medicina quædam est, ad majorem quandam hominis sanctificationem ordinata: ergo sicut nemo curatur per medicinam alteri, quàm ipsi ægroto applicatam, ita & reatus pœnæ non remittitur, nisi per actum ipsi, cui pœna remittitur, intrinsecum. Resp. dist. omnis pœna peccatis statuta, est tantummodo & unicè ut medicina serviens ad eradicationem vitiorum: neg. antec. ut fit etiam vindictio quædam commissi delicti: conc. antec. & neg. conseq. ex hoc tantum

sequitur, unum finem, qui est remedium vitiorum, & mortificatio passionum, non esse obtinendum, quando ab alio ponitur satisfactio, sufficit autem, quòd obtineatur alter, qui est delicti commissi vindictio, hanc, quòd etiam Deus intendat, animæ in purgatorio detentæ comprobant.

Objic. 9. Ad Gelat. 6. legi-18 mus: *Unusquisque onus suum portabit. Et 2. ad Corinth. 5. Unusquisque recipiet, prout gessit in corpore suo*: ergo pœna pro peccatis debita est persolvenda à quolibet in persona propria. Resp. conc. antec. dist. conseq. ergo pœna per finalem sententiam à Deo ferenda (de qua Textus ad Galatas 6 & ad Corinth. 5. citati loquuntur) erit sustinenda à quolibet in persona, & nulli alteri imputanda: conc. conseq. ergo pœna non finalis, & in hac vita soluta erit præstanda per solum delinquentem: neg. conseq.

Objic. 10. Hac ratione trans-19 ferens satisfactionem suorum bonorum operum in alterum seipsum tali satisfactione privaret, sed hoc est inconveniens, cum amor incipiat à seipso: ergo &c. Resp.

1. An-

I. Anteced. tanquam verum doceri à D. Thoma *D. 45. q. 2. act. 1. quæstiunc. 4. & D. 20. q. 1. art. 2. quæst. 3.* cum communi Doctorum, cum enim quælibet satisfactio sit finiti valoris, ideo quodlibet satisfactorium opus potest solum valere secundum æqualitatem ad remissionem tanti reatus: ergo quando hic valor transfertur in alium iste non proderit ipsi satisfaciendi, cum rationem operis excederet. Respond. 2. Conc, antec. nego conseq. talis enim transcriptio est opus charitatis.

20. Objic. II. Transferens in alterum satisfactionem etiam careret merito sibi ex bonis operibus aliis eventuro: sed hoc est absurdum. Prob. antec. repugnat satisfactio pro alio, & meritum pro se: ergo. Resp. neg. utrumque antec. Ratio est, quod sint diversarum rationum, atque diversos ad effectus ordinentur, in distinctis principiis seu proprietatibus actuum fundatæ, bonitate scilicet, ac poena operum, cum igitur translatio satisfactionis in alium sit actus charitatis novi præmii meritorius,

ideo ex illa hoc potius augebitur, quam diminuetur.

Dico 5. Satisfactio ista unus fidelis viventis pro alio vivente prodest infallibiliter illi, cui applicata fuerit. Ita D. Thomas 3. contra gentes: *c. 158, ibi: sicut per seipsum, ita & per alium potest aliquis satisfacere DEO.* S. Doctorem sequitur communis TT. Suarez in Commentario ad 3. partem tom. 4. *dis. 48. sect. 3. n. 3.* Lugo de Penitentia. *disp. 26. sect. 3. n. 5.* asserens esse sententiam communiorem. Probatur assertio ex verbis Catechismi Romani superius adductis: si enim fideles possunt pro aliis satisfacere, tunc istud totum, quod ad satisfaciendum pro alio requiritur, habent in sua potestate, cum ergo & acceptatio Dei requiratur, etiam hanc habebunt in sua potestate. Prob. 2. Satisfactio Sanctorum ab Ecclesia per Indulgentias, alicui legitimo modo applicata infallibiliter prodest, atque à Deo acceptatur: ergo etiam applicata ab ipsomet operante, quod totum non solum de satisfactione superflua operantis intelligendum esse

- esse exinde probatur, quòd Patrum de hoc locutiones sint universales, tam superfluam, quàm non superfluam completentes satisfactionem.
- 22 Objic. Punitio est actus iustitiæ vindicativæ propria, conferens jus in delinquentem: ergo Judex nunquam tenetur satisfactionem per alium præstitam acceptare: ergo acceptio illius non est infallibilis, sed dependet à libera voluntate Dei. Resp. dist. conseq. ergo judex non tenetur, si lex pœnam impositam ad solum delinquentem limitet, conc. si hoc non fiat, sed pœna vel à delinquente, vel ab alio persolvi possit, uti hic fit: negatur.
- 23 Dico 6. Probabiliùs regulariter nemo potest alteri applicare per modum suffragii satisfactionem, quæ ipsi obvenit ex opere operato per pœnitentiam Sacramentalem aut sumptionem Eucharistiæ. Ita Lugo de Sacramento Pœnitentiæ. disp. 26. sect. 1. n. 11. citans pro hoc Suarezium Prob. assertio. hujus satisfactionis applicatio alteri facta, si esset possibilis, tunc etiam baptizatus, vel Martyr posset satisfactionem ex opere operato per Baptismum aut Martyrium obtentam applicare tertio: sed hoc videtur absurdum: ergo & id, unde hoc sequitur. Prob. min. hac ratione talis Martyr veniret ad purgatorium, & hinc contra comunem Ecclesiæ sensum non quilibet Martyr statim avolaret ad cœlum, cum prius pro suis peccatis debitum eidem solvendum esset. Idem de baptizato verificaretur. Prob. conclus. 2. Tantummodo in alterum, transferre possum, quod est meum, & meo activo dominio subest: atqui satisfactio ex opere operato per Sacramentorum receptionem obveniens non est subiecta meo activo dominio: ergo non potero illam transferre in alium: minor constat, cum illam recipiendo me tantum passivè habeam, eò quòd ipsius Christi satisfactio mihi applicatur. 2. dò in tantum ego sum activè dominus meæ satisfactionis, in quantum ego possum liberè opera meritoria elicere, quæ post se trahunt satisfactionem: ergo satisfactio ex meritis Christi mihi obveniens ex opere operato ejusdem Sacramenti,

non est sub activo meo dominio. Confirmat. Nemo potest alteri applicare fructum, qui eidem obvenit ex eo, quòd Sacerdos pro illo Sacrificium obtulerit: ergo neque fructum satisfactorium ex opere operato per receptionem Sacramenti obtentum. Prob. antec. applicare talem fructum alteri est offerre Sacrificium pro altero: sed ejusmodi tertius applicans non potest offerre Sacrificium pro altero: ergo neque huic alteri applicare memoratum fructum.

Ex his constat in casu, quo Petrus determinatè jejuset pro Paulo, istum non posse cuidam tertio applicare hunc fructum satisfactorium, cum unusquisque respectu suorum operum meritoriorum, sit quasi Sacerdos offerens: ergo si Petrus suum jejunium determinatè pro Paulo obtulit, iste non poterit illud alteri applicare. Dein quando Petrus sua oratione Paulo vult aliquid apud Deum impetrare, non potest Paulus hanc Petri orationem pro tertio offerre, cum hoc esset orare pro tertio, & Paulus hoc nequeat facere per orationem Petri: ergo idem de

jejunio, aut alio quodam opere personali tenendum erit.

Objic. Sacerdos sacrificans²⁴ potest fructum satisfactorium sibi obvenientem ex opere operato ratione Sacrificii applicare alteri: ergo fructus iste potest alteri applicari. Resp. transeat antec. dist. conseq. ergo ipse sacrificans potest applicare fructum ex opere operato proveniente, & Christo principali offerenti correspondentem, alteri applicare: conc. ergo etiam potest alteri applicari fructus non ipsi Christo principali offerenti, sed alii cuidam correspondens, negatur conseq.

Urgebis: Si Sacrificans potest, non amplius habetur ratio, ob quam alius id non possit. Resp. Rationem esse, quòd Sacrificans tanquam minister secundarius & à Christo sibi substitutus consideratur, ut principium activum Sacrificii, non secus ac ipse Christus: ergo instar hujus potest alteri illum fructum applicare.

Objic. 2. Potest contingere, ut²⁵ implens poenitentiam Sacramentalem, hujus satisfactorio fructu non indigeat ad delendas poenas pro expositis peccatis subeundas,

D d d

&

& tunc talis satisfactio ab illo applicari poterit ad delendam pœnam pro peccatis aliàs expositis debitam: ergo etiam fructum satisfactorium poterit in tertium transferre. Resp. antec. ut minus probabile negari à Lugone *n. 15. sectionis primæ disp. 26. de Pœnit.* eò quòd illa pœnitentia probabiliùs tantùm aliquid conferat ad delendam pœnam peccatorum, ob quæ confessà, imposita illa fuerat, cùm Sacerdos pœnam peccatis expositis debitam commutet in impositã confitenti, & ad delendam illam aliam pœnam virtute clavium elevatam.

26 Dico 7. Ut alicui viventi suffragia applicari possint, requiritur Primò. Ut ille sit in statu gratiæ. Secundò. Ut culpa sit remissa. Tertiò. Ut tali satisfactione indigeat. Ita Suarez *disp. 48. Lugo de Sacramento Pœnit. disp. 26. sect. 2.* Ratio primi est, quòd in mortali constitutus tanquam membrum mortuum non habeat sufficientem Communicationem cum aliis membris vivis. Secundò, Opera iusti tantummodo valent ad placandum Deum pro pœna su-

menda de amico: ergo cùm multò major valor requiratur ad placandum Deum pro inimico; ad hunc effectum non erit condigna satisfactio hominis iusti. Tertiò, Pro pœna æterna non potest ulla satisfactio condigna offerri: ergo cùm in mortali constitutus hanc subire debeat, pro illa non poterit ulla condigna satisfactio offerri: imò neque pro veniali ejusdem, quia ob mortale meretur, ut Deus nullum favorem eidem exhibeat, adde, quòd juxta multos veniale mortali adjunctum mereatur pœnam æternam.

Ratio secundæ conditionis est, quia Deus semper aversus, atque inimicus manet homini propter culpam, quamdiu hæc necdum remissa fuit: ergo cùm remissio pœnæ, & acceptatio satisfactionis per ista ab alio præstita sit Indulgentia & favor quidam, ideo non videtur congruum, ut favorem & Indulgentiam peccatori gratiosè exhibeat, antequam cùm illo, culpam remittendo reconciliatus fuerit.

Tertiæ conditionis ratio est, quòd pœna non persolvatur, nisi
pro

pro culpis commissis, non autem pro committendis: ex altera parte satisfactio tanquam voluntaria castigatio sapiat naturam poenae: ergo etiam supponit culpam commissam, nec acceptari potest pro culpa futura. 2. dō Finis cujuslibet poenae est, ut reus illam patiendō agnoscat, & retractet suam culpam: ergo ante hanc infligi non poterit, neque acceptari satisfactio sapiens naturam poenae.

27 Præter has tres condiciones non videtur necessaria ex parte ejus, pro quo suffragia offeruntur, satisfactionis acceptatio, eò quòd iste se habeat merè passivè, causa verò passiva necessariò, non autem liberè concurrat: ergo à solo offerente, tanquam ab adæquata causa activa pendet effectus seu remissio poenae. Dein ille, pro quo oro, non potest per suum disensum, meæ orationis impetrationem per se impedire, sed solum per accidens, se indignum reddendo: Idem autem de suffragiorum effectu tenendum.

28 Dico 8 Ex parte suffragia offerentis, ut hæc suum effectum sortiantur, necessarium est Pri-

mò. Ut ille sit in statu gratiæ. Secundò. Ut determinatam intentionem offerendi pro altero habeat. Tertio. Ut hæc intentio præcedat bonum opus, Ratio primi membri est. In statu peccati mortalis constitutus non potest pro se ipso satisfacere: ergo neque pro altero de condigno: quia autem principalis offerens Sacrificium est Deus, hinc istud à Sacerdote in peccatis constituto oblatum non caret satisfactione ex opere operato, orationes verò ex voluntate, atque nomine Ecclesiæ à tali Sacerdote in Missa recitatæ habent vim impetrationis, nullius autem satisfactionis, cùm respectu Ecclesiæ non sint opus quoddam poenale, quod solum sufficit ad satisfactionem.

Secunda conditio per se patet, sine illa enim nulli determinata fidelium applicabitur, hinc omisâ illâ ex bonis meis operibus nulla diminutio poenae cæteris singulis justis obveniet, sed sola de congruo quædam impetratio indirecta, in quantum congruum est, ut propter consortium, quod boni inter se habent, Deus benefaciat omni-

D d d 2

bus

bus illis, qui cum iis conjunctionem aliquam habent; debere autem hanc intentionem bonum opus præcedere, inde probatur, quia sequeretur operantem posse suam satisfactionem suspendere ad tempus, quo ipse illâ indiget, & postea sibi applicare. 2. dō in tantum mea satisfactio applicari potest, in quantum meo dominio subest, sed postquam jam fuit præstita, non amplius subest meo dominio. Probatur min. in tantum meo dominio subest, in quantum mihi liberum est opus bonum ponere, vel non ponere, sed quan-

do opus bonum à me jam est præstitum, non amplius illud possum ponere, vel non: ergo tunc non amplius in meo dominio erit.

Cæterum hæc intentio non debet semper actu coexistere operi bono, alteri per suffragium applicato, cum juxta Vasquezium 2. tom. in 3. partem disp. 138. c. 6. sufficiat virtualis: & Lugo disp. 8. de Sacramentis in genere sect. 6. valde probabiliter ostendat, sufficere habitualement, seu præteritam necdum retractatam.

